



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

§. I. Silentium: & quæ in illo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

, per altare aureum quod est ante thronum Dei. (v. 4.) Et ascendit fumus
 , incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.
 , (v. 5.) Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne alta-
 , ris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, &
 , terra motus magnus. (v. 6.) Et septem Angeli, qui habebant septem
 , tubas, preparaverunt se, ut tuba canerent. (v. 7.) Et primus Angelus
 , tuba cecinit, & facta est grandis, & ignis, mista in sanguine, & missum
 , est in terram, & tertia pars terra combusta est, & tertia pars arborum
 , concremata est, & omne fœnum viride combustum est. (v. 8.) Et secun-
 , dus Angelus tuba cecinit; & tanquam mons magnus igne ardens mis-
 , sus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis. (v. 9.) & mor-
 , tua est tertia pars creatura eorum qua habebant animas in mari, & ter-
 , tia pars navium interiit. (v. 10.) Et tertius Angelus tuba cecinit: &
 , cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula; & cecidit in ter-
 , tiam partem fluminum, & in fontes aquarum. (v. 11.) Et nomen stel-
 , lae dicitur absinthium; & facta est tertia pars aquarum in absinthium:
 , & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amara facta sunt. (v. 12.)
 , Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia
 , pars luna, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum,
 , & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter. (v. 13.) Et vidi, &
 , audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce mag-
 , na: *Va, Va, Va* habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium An-
 , gelorum, qui erant tuba canituri.

S. I.

Silentium: & quæ in illo.

*Septimū
 Sigillum.*

1. **A**PERTO septimo Sigillo FA-
 CTUM EST SILEN-
 TIUM & quies à perfec-
 tione illa continuata & horrida tot
 consequenter Imperatorum ethnico-
 rum: simul & ab idololatria, quæ visa
 est suffocari vel extingui per sanguinem
Silentiū. Martyrum. Dicitur hoc Silentium

IN COELO factum esse, atque à
 DEO cœli profectum. præterquam
 quòd etiam Cœlum Ecclesia militans
 illo sibi factò gratulata est, magnâ &
 beatâ cum exultatione suorum San-
 ctorum in terris de repressâ supersti-
 tione idolorum, & fortiter expugnato
 Satana, opulantis Angelis sanctis;
 prout

In Cœ-
 lo.

prout de hoc Silentio canit Ecclesia in publicis precibus: *Factum est silentium in Cælo, dum Draco committeret bellum; & Michael (Præses Ecclesiæ, ac dominator idololatriæ) pugnavit cum eo & fecit victoriam.*

Mediâ horâ,

Factum est autem, QUASI MEDIA HORA. græcè *ἡμέρα* est tempus: unde S. August. ep. 80. ad Hefychium de S. Joanne in Apoc. *convenientissimè ille Apostolus creditur horam possuisse pro tempore.* Dicitur autem mediâ: quia intervallo temporis medio inter persecutiones ethnicas præcedentes, & inter nova alia pericula, quæ impendent Ecclesiæ: quorum præcipua per sex primas Tubas denuntiabuntur, præmonentibus Angelis ut caveantur. In græco textu est *ἡμέρας*, id est dimidia hora: neque enim diu; nec integrè quies omnis, sed mediâ ex parte.

Incensatio multa,

2. Interea in hoc Silentio, & Ecclesiâ pacata, THURIBULUM ET INCENSA MULTA, in templis Christianorum publicè constructis toto terrarum orbe: ORATIONES SANCTORUM; vigor & flos divini cultus id temporis in omnibus Ecclesiis (nec minus eximius in Asiaticis:) ætas aurea in qua plerique maximi Doctores Ecclesiæ ac plurimi simul, effloruerunt: & plena omnia hymnis ac laudibus eucharisticis pro repressione diaboli, tranquillitate, incremento ac dilatatione Religionis Christianæ. Offert eas preces ANGELUS DEI SUPER ALTARE, ex thuribulo aureo: ascendente FUMO odorifero & pretioso CORAM DEO.

Præpa-

Dum interim hâc obortâ quiete so-

liciti statim Ecclesiæ ANGELI, illi vigiles Præsides SEPTEM, stantes in conspectu DEI (cap. 1. v. 4. & cap. 5. v. 6.) PRÆPARAVERUNT SE ad denuntianda alia gravissima pericula secutura in Ecclesiis cum cæteris, tum præsertim Asiaticis ad quas sermo & cautio valdè particularis in Apocalypsi.

Præparatio illorum sita est in eo: primùm ut excitent terrestres Angelos Ecclesiarum, Episcopos, ad proclamandum ea quæ sunt prædicta in Evangelio & præcavendum: Athanasios, Hilarios, Basilios, Nazianzenos, Epiphanos, Hieronymos, Chrysostomos, & ex aliis deinceps alios. deinde, ut his adjutores suscitentur Fundatores Ordinum, vitæ cælibis Angelicæ, & prædicationis Evangelicæ: qui circa illa tempora cœperunt ex instituto S. Basilii, Hieronymi & in posterum sequentium. qui Ordines velut *Tuba* infonuerunt per universam Ecclesiam, successionem mutuâ, & numero septenario id est universo, usque in diem mundi extremum: & multùm profuerunt præmuniendæ Ecclesiæ servandæque in his turbis. De hujusmodi significatione horum 7. Tubarum S. Hieronymus suggerit breviter his verbis (commentario in Joëlem cap. 2.) *In Apocalypsi quoque Joannis legimus 7. Angelos accepisse Tubas singulas; quibus per ordinem canentibus facta sunt quæ Scriptura describit. Præcipitur ergo nunc Sacerdotibus & Magistris, ut exaltent quasi Tuba vocem suam ut canant Tubâ in Sion, id est in Ecclesia quæ interpretatur specula atque sublimitas. Talis hîc est*

ratio tubarum.

Quid significet ea præparatio.

Et præ-
nuntia-
tio quo
fiat.

est præparatio Tubarum; & semper
is est finis cur DEUS prænuntiet im-
pendentia mala, ut evitentur: etiam
quando talia dicitur per se suosve An-
gelos immissurus aut permissurus. ut
rectè S. Chryostomus hom. 61. in
Matth. *hæc minatus est, ne hæc accidant.*
& hom. 10. *plagam minatur; non ut eam
in nos inducat, sed ut nos ad se potius ad-
ducat.* & alibi: *quare quæ facturus es
malapradicis? ut non faciam quæ præ-
dico.* Et S. Hieron. DEUS *neminem pu-
nire desiderans, quod facturus est commi-
natur.* & patet Jonæ 3. v. 10. *miserus
est DEUS super malitiam quam locu-*

us erat ut faceret eis, & Non fecit.

3. Postremò, post multa incensa
memorable illud accidit, ut ex suo
Thuribulo, DE IGNE ALTARIS
miserit Angelus IN TERRAM!
significans, ex ipso Altari & iis ipsis
qui ei deserviunt Ecclesiasticis oritura
mala: unde existant TONITRUA
eversura pacem Ecclesiasticam: VO-
CES & lites Episcoporum: FUL-
GURA, excommunicationes contra
invicem: ET TERRÆ magnus
MOTUS, id est, mutatio Ecclesia-
rum tremenda; ut jam videbimus.

Ignis de
Altarii.

Et omi-
na.

§. II.

Tubæ 4. primæ.

7. Tubæ: IN numero 7. Tubarum respicitur
ad SEPTEM TUBAS, quarum
usus in Jubileo, qui est annus remissio-
nis pro electis: & ad 7. *buccinas*, cum
quarum clangore circumitur Jericho
civitas & populus reproborum: Jos. 6.
v. 4. Ad singulas Tubas prædicuntur
mala: & quidem semper auctiora vel
incurabiliora usque ad ultimum *Væ*,
quod est Tubæ septimæ.

De his malis Apocalypticis, præno-
ravimus in Prolegomeno §. 2. & 3. non
esse grandinem, locustas, tenebras &
cæteras plagas vel hujus Capitis vel
Capitis 16, intelligendas literaliter. ne-
quaquam ista est phrasia Apocalypseos,
neque hæc mens scribentis mysteria
Ecclesiastica ad Ecclesias Asiæ. Per

plagas IRÆ DEI debent præcipuè
intelligi plagæ Ecclesiasticæ: tales quæ
referantur ad culpam; quod est obje-
ctum iræ divinæ: & universè per ten-
tationem, quæ prædicatur, tam timen-
dam & ultimam debet intelligi perse-
cutio potissimùm ea quæ fit animabus,
& seductio: juxta illud Christi, non ad-
modum aut minus timendum esse
(Luc. 12. v. 4.) *ab his qui occidunt corpus,*
atque adeò plus timendus est Antichri-
stus suâ imposturâ & prodigiis, ac po-
testate quæ Draconis est propria, sedu-
cendi animas: fingendo se Messiam &
adversando extollendoque se super
omnem Deitatem. nam iis, quas etiam
exercebit, atrocissimis pœnis, quibus
coget corpora tanquam Tyrannus

vio.